



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *CUM PIETASE* ECCLESIA NOSTRAE DOMINAE DE RUPE GALLIAE, IN ARCHIDIOECESI**

**CACERENSI SITA, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. –

Cum pietas erga Beatissimam Virginem Mariam in vitam religiosam alendam, fidem servandam, mores integros custodiendos magnopere conferat, eademque catholicos excitet ut ad benignissimam illam Patronam in suis necessitatibus confugiant, salutare sane est eiusmodi cultum fovere, tum efficiendo ut melius eius potentissimae Auxiliatricis amor et misericordia cognoscantur, tum congruentes tribuendo honores iis locis sacris, ubi ea peculiari fidelium frequentatione colitur. Quoniam igitur Venerabilis Frater Leonardus Zamora Legaspi, Archiepiscopus Cacerensis, denunciatis cleri et populi christiani votis ad rem pertinentibus, ab hac Apostolica Sede petivit ut ecclesiam in pago Balatas intra fines archidioecesis Cacerensis recenter aedificatam, in quam imago Beatissimae Virginis Mariae sub titulo «Nostra Domina de Rupe Galliae», hispanice vero «Nuestra Señora de Peña de Francia», est a vetusto templo translata, ad dignitatem Basilicae Minoris evehere dignaremur, Nos, imaginis eiusdem attente considerato momento, quae per trecentos fere annos in antiquiore ecclesia magnam habuit venerationem usque ad duos ante annos, consulta probantes Congregationis pro Cultu Divino, postulationem libenti animo admisimus. Quam ob rem ecclesiam Nostrae Dominae de Rupe Galliac titulo et dignitate Basilicae Minoris insignimus, servatis iis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, servanda iubet. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Maii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---